

DE ADMINISTRA. SACRAMENTO. Fo. XXVI.

**I**dem dum sacramentum confirmationis confertur, docebunt Vicarij nostri in pontificalibus; quid agatur, nempe quod illic ambiatur gratia spiritus sancti, qua confirmatur tyro aduersus satanae tentationes, roboraturq; vt quod corde credit ad iustitiam, ore quoque palam confiteatur ad salutem. Quamobrem eo communiri solet aetas tenera, quae ad nequitiam procliuior est q̄ ad pietatem, vt ea procliuitas minuatur, docilitaq; ad pietatem augeatur. Omnes fideles (inquit Vrbanus pontifex Romanus) per manus impositionem episcoporum, spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur, quia cum spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam roboratur. De spiritu sancto accepimus, vt efficiamur spirituales, quia animalis homo nō percipit, ea quae sunt spiritus dei. De spiritu sancto accepimus, vt sapiamus inter bonum malumq; discernere, iusta diligere, iniusta respuere, vt malitiae ac superbiae repugnemus, vt luxuriae & diuersis illecebris, ac scedis indignisq; cupiditatibus resistamus. De spiritu sancto accepimus, vt amore vitae & gloriae ardore succensi, erigere a terrenis mentem ad superna & diuina valeamus. Sed de hoc alibi latius.

Acto. 8. 19  
De cōf. dist.  
5. c. nouissi.  
Roma, 10

Ex canoni.  
Vrbani.

1. Corin. 2

Quomodo ad sacramentū cōfirmationis accedendum sit. Ca. IX.

**A**n expediat imitari consuetudinem, qua obseruatur, vt nedum adultis, sed & infantibus detur confirmatio, idq; praeiens, hic non diffinimus, Quamquam quod Aurelianeñ. Concilio sancitum est, nobis magis placuerit, videlicet, vt ieiuni ad confirmationem veniant perfecta aetatis, vt mox neantur confessionem sacramentalem facere priusquam accesserint, quo mundi, donum spiritus sancti mereantur accipere. Cum enim hoc sacramentum non sit necessitatis absolutae, conuenientius & vtilius dabitur, si addatur admonitiuncula. At anteq̄ infans supra septimum aetatis annū progressus fuerit, parū aut nihil horū quae aguntur intelliget, ne dicamus, meminerit.

Ex cōci. Au  
relian. c. vt  
ieiuni. de cō  
f. dist. 5

Cuius sint admonēdi susceptores confirmati. Cap. X.

**Q**uemadmodum in baptismo susceptores sunt, ita hic qui confirmantur praesentant ac coram Episcopo sistunt, idq; non admodum diuersa ratione, nisi quod quidam etiam dicunt, decens esse, vt qui nondum aduersus carnis, mundi, ac satanae tentationes roborati sint, per confirmatos iam dudū atque exercitados sensus habentes (quibus fides confirmandi cognita atque explorata sit) Episcopo praesententur. Quamobrem quoque admonendi sunt isti officij sui, curandumq; vt tanti sacramenti perceptio diuine ac reuerenter peragatur, quemadmodum in primatiua ecclesia obseruatum legimus.

Gerfon,

De moderandis donarijs, quae susceptores infantibus donant. Cap. XI.

Qui